Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

parentes sunt decepti. Quos dominus a facie
filiorum israel consumpsit, quos creator a ui
sione angelorum remouit, cum in eis aua
ricie malum deprehendit. Achab sermones
istos audit, cum populus iudaicus auditum
cordis uerbo predicationis tandem aperit. Vesti
menta sua scindit, cum litteram ab allegoria re
scindit. Carnem suam cilicio operit, cum in
redemptore mundi carnis sue propinqui
tatem recognoscit. Ieiunat, cum luxum et
irrimoniarum carnalium dampnat. In sacco
dormit, cum in fide mortuus et requiescit.
Sacco enim et mortalitas plerisque locis de
signatur, sicut ubi Esaias propheta sacco uestitur.
De quo sacco dicit psalmista in ipsius et domini
persona. Concidisti saccum meum, et circum
dedisti me leticia. Achab in sacco dormit,
cum populus iudaicus habitum penitentie assu
mit. Dimisso capite ambulat, dum uera
humilitate propositum superbie commutat. Et
inde sermo domini ad helyam thesbiten diri
gitur, cum deus pater unigenito suo in spiritu sancto
conuersionem populi iudaici ab eterno loquitur:
Nonne inquit uidisti achab coram me hu
miliatum. Nonne uidisti spiritum populi iudaici
in penitentia contribulatum. Quia igitur humi
liatus est mei causa, quia conuersus est a sua perfidia
timoris et amoris mei gratia. Non inducam
in diebus eius mala, quia dies eius sunt fides et
penitentia. Sed in diebus filii sui inferam
malum eius domui, quia per mortem carnis uin
dicabo in eo peccatum transgressionis et infidelitatis.

Cap. XXII. Transierunt igitur tres anni SEQUITUR
absque bello inter syriam et israel. TRES
anni tria significant tempora, que fuerunt
ante legem, sub lege, sub gratia. Que tempora
transierunt absque bello inter syriam et israel, quia
pauci erant qui superbo hosti humani
generis inimico resisterent, et singulare
certamen contra furentem leuiathan inire auderent.

Per syriam, quod interpretatur sublimitas, arrogans
et superbus diabolus exprimitur, qui uniuersum
mundum iniquo dominio inuasit, quando
in primo parente totius humane conditionis
dignitatem uiciauit. In anno autem tercio descen
dit iosaphat rex iuda ad regem israel.
Tercius iste annus tempus designat gratie et
pietatis, quando filius dei ad conterendam super
biam et sublimitatem diaboli descendit de celis,
et ut filios dei qui erant dispersi ad fidei sue uni
tatem congregaret. Per duos reges istos utrumque populum
iudaicum scilicet et gentilis accipimus. per iosaphat
qui interpretatur iudicium domini populum gentium, per achab
qui frater patris populum iudeorum. Igitur sub tempore
gratie quando christus dominus noster ad componendam
pacem et amiciciam et destruendam inimiciciam
inter celestes et terrigenas, et ad eliminandum de
medio nostrum pacis inimicum diabolum ad terras
descendit, duo isti reges conuenerunt, quia utrique
populi mundi lumen uidere meruerunt. nam
lapis ille angularis duos in se parietes iudeorum
uidelicet et gentium cepit copulare, istos de
prope, illos uocans de longe. Dixitque rex
israel ad seruos suos. Ignoratis quod nostra sit ramoth
galaad, et neglegimus tollere eam de manu
regis syrie. Serui iudaici populi sunt cunc
ti obseruatores legis. ramoth quod interpretatur sig
num excelsum, recte fidei ratio. galaad quod acer
uus testimonii, sacre scripture auctoritas est,
per quam morum honestas et uite laudabilis discernitur
conuersatio. Dicitur igitur obseruatoribus legis in lege
sua singulariter gloriantibus, ut meminerint recte
fidei et conuersationis regulam tenere, et neglegerent
de manu regis syrie, id est de potestate diaboli
semetipsos tollere et eruere. Iudei enim
despectis gentibus ut potius ydolatrie erroribus
inquinatis et pollutis, dedignantur salutem et uoca
tionem eorum, ipsi per omnia deo abhominabiles facti in
studiis suis. Et ait rex israel ad iosaphat. Veni
es ne mecum ad preliandum in ramoth galaad?